




520  
BIBLIOTEKA  
Zakl. Nar. im. Ossolińskich

XVII 2049

The image shows the front cover of an antique book. The cover is decorated with a traditional marbled paper pattern, often called 'stone' or 'shell' marbling, featuring irregular, organic shapes in shades of brown, tan, and black, set against a vibrant blue background with thin veins of yellow and green. The spine of the book, visible on the left, is bound in a textured, reddish-brown cloth. A small, rectangular, cream-colored paper label is affixed to the upper left corner of the cover. The label contains the text 'BIBLIOTEKA Zakl. Nar. im. Ossolińskich' in black ink, and 'XVII 2049' in blue ink. The number '520' is handwritten in black ink at the top left of the book's edge, above the label.







ORATIO

DE PRÆSTANTIA

AC DIGNITATE  
THEOLOGICÆ,

110.  
- 111

Quæ ex duplici laurea efflorescit.

Ipso die responsionis, qui fuit V.  
Id. Iunii, in Anno Salutis, M. DC.  
XXVIII. pro loco inter Doctores  
S. Theologiæ,

In Celeberrima Academia Cracouien. consequendo.  
Habita.

A

M. ADAMO OPATOVIO,  
S. Theologiæ Doctore & Professore, ad S. Anne  
Decano.

CRACOVIAE,  
In Officina Francisci Casarij, Anno D. 1628.

OPUS A. F. L. O.  
DE PRÆSTANTIA  
AC DIGNITATE  
THEOLOGICÆ

Quæ ex duplici laurea effloruit.

responsionis, qui fuit  
in Anno salutis M. DC.  
pro loco Professoris



in Academia Cracoviensi, consequendo.

1717  
III - 2049 - III  
1717

ADAM O P A T O V I O  
Theologicæ Professor, ad 2. Annos  
Decanus.

CRACOVIA  
In Officina Francisci Orszulani, Anno D. 1718.

11.500



# O R A T I O

## DE PRÆSTANTIA AC DIGNI- TATE THEOLOGICÆ,

Quæ ex duplici laurea efflorescit.



**Q**UÆ duo, in rebus humanis, plurimum pos-  
sunt, Auditores, ad animos hominum exci-  
tandos, ad quæuis ardua suscipienda, liber-  
tas & honor: hæc ipsa optimis literarum  
studijs, illarumq; cultoribus, omnium fe-  
rè gentium consensu, in quibus hæc florue-  
runt, sunt permissa. Equidem inficiari non possum, litera-  
rum exercitationem, incredibili quadam iucunditate ani-  
mos hominum adimplere, sed hic sensus oblectationis, plu-  
rimum laboris ac molestiarum, quæ valetudinem exhauri-  
unt secum adfert, quibus non pauci deterriti, aliò cogitatio-  
nem, ac studium transtulerunt. Quod cum summi illi vi-  
ri, qui publica gymnasia erexerunt, optimè animaduerte-  
rent, his duobus amplissimis propositis præmijs, animos  
languentes, laborum impatientes, ad otium & voluptatem  
pronos, ad hæc ipsa studia recolenda inuitare cæperunt.  
Et legum prærogatiuis concessa libertas, tranquillitatem

## *Oratio de Præstantia*

amicam studijs tuetur, hominum insolentium audaciam comprimit, ex obscuro ac ignobili natalium loco, ad hominum existimationem profluere facit, vitæq; rationes, non ex alicuius civitatis præscripto, sed ex sui ipsius instituto, moderatur. Honorum verò, varia sunt & pulcherrima ornamenta, & inter singulas professionum facultates distributa, quæ post tot labores exantlatos, post difficultates, in ignorantia pertinacia expugnanda, susceptas, non nisi conatui, labori, industriæ, & ad summum in quavis scientia deductæ peritiæ patent. Et hæc quidem insignia virtutis, & monumenta doctrinæ, in qua demum societate, virorum doctissimorum sunt integra, & nullo ausu malitiæ violata, aut invidiæ liuore extenuata, ibi necesse est, vigorem ingenij, absterisa rubigine desidiæ, splendere: & quoduis genus scientiarum, siue quoad humanitatem informamur, siue quo de rerum gravissimarum, & à sensu communi remotissimarum cognitione instruimur, florere. Iacent profectò neglecta, & ab omnium studijs deserta, illa præclara artis exercitia, quæ debitis ac condignis præmijs non decorantur. Illa verò licet fuerint obscura, & ignobilia, omnium sollicita assiduitate recoluntur, si spem gloriæ consequendæ faciunt. Et cum Theologia, inter alias scientias, principem locum obtineat, & reliquas tanquam domina ditioni suæ subiectas regat, illiusq; in rebus fidei, & in animarum salute regenda, imperium sequantur, meritò primarijs honorum ornamentis gaudebit. Et hæc quidem quænam sint, & quomodo se habeant, vellem præsentis oratione



ratione planum facere. Vos modo Auditores adeste animis, mecumq; huius diuinæ sapientiæ, amplissimos honores cognoscite. Honorem illum, Auditores, summum esse necesse est, & omnium maximum, qui non tam suffragijs hominum, quam ipsius Dei iudicio decernitur. Quis enim non videt, hominum voluntatem volubilem esse, paucaq; ex veritate, plurima ex opinione æstimare: sin verò hominum turbulentorum, & omnia pro libidine miscere volentium, lingua tanquam flabello seditionis, concitata fuerit, quomodo ab omni exturbata ratione, æquitatis moderamine, in decernendis honoribus vtetur? An non iniquis Senatus consultis imperia, honores, ad improbitatem, & ignaviam, detractis per vim virtuti, deferet? Hoc verò instabile iudicium multitudinis, & quod per imprudentiam facile in fraudem inducitur, tunc maximè pondus suum habet, cum est Diuinæ voluntati consentiens. Si enim splendor lunæ, & cælestium luminarium, suapte natura exilis est, radijs verò solaribus accensa, lumen flammeum ex se spirant, noctisq; tenebras illuminant. Ita prorsus voluntas humana, quantumcunq; sibi solers & sagax, in rebus amplectendis aut respuendis, videatur. Si tamen in deligendo suæ permittatur potestati, dici non potest, quam sit debilis, & quam facile in omnem partem agitari, & in id quod est deterius, flecti potest. Sin verò diuinam sequatur, tanquam sui procreatricem, vitiorum ac falsi expultricem, veritatis ac honesti magistram, non iam opinionibus hominum, ad varios errores abripi se patietur, sed id quod est re-

*Oratio de Præstantia,*

atum, & veritati consonum decernet. Et hanc quidem subiectionem, & in imperatis diuinis adimplendis promptitudinem, tunc abundè testatur, cum huic sublimes scientiæ, & rerum cælestium indagatrici, summos Doctoratus honores, solenni in auguratione defert; quos etiam postmodum, longè auctiores, atq; etiam augustiores, suprema bonitas, in illo confessu, longè iucundissimo, Sanctissimæ Trinitatis, Deiparæ Virginis & Magnæ Matris, & circumfusa adstante multitudine, beatarum mentiû, ac cælestium Spirituum, deferet: Sed quænam hæc est dignitas? & in quorum hominum iudicio constituta? & quibus ornamentis insignita? Plurimas fuisse dignitates accepimus, easdemq; non nisi in florentissimis Rebuspub., & quæ nomine libertatis gloriabantur, regnasse; fueruntq; ibi, summi viri, belli, & pacis artibus, & magno rerum vsu instructi: erant quoq; varij magistratus, eorumq; plena splendoris, & admirationis insignia, toga prætexta, sella curulis, fasces, imperia, sacerdotia, triumphus, & hæc quidem imperitæ, ac flexanimæ plebis, voluntate mandabantur, sæpiusq; contingebat, vt præteritis optimis ciuibus, ac de Repub. benè meritis, homines singulari audacia, cupiditate, ad quoduis facinus inflammatos, summis Reipub. dignitatibus ornarent. Dignitas verò Diuinæ sapientiæ, tota ex arbitrio dependet, illiusq; authoritate confertur, qui solus interris, proximum Deo locum tenet, & qui religionem Christianam, & salutem omnium nationum sibi commissam, sollicitè, præsentis auxilio Spiritus Sancti suffragante moderatur.

*ac Dignitate Theologiae.*

tur. Hæc est enim scientia, quæ à suprema sede, & à Christi Vicario in terris delecta est, in ministerium voluntatis Diuinæ annunciandæ, salutis humanæ procurandæ, illiq; facultas concessa est, non solum Mysteria fidei interpretandi, sed etiam à furiosa rabie, prauitatis hæreticæ defendendi. Quomodo igitur quispiam, audebit sibi tantum honorem sumere? & tanti officij authoritatem arrogare? non explorata? neq; etiam expectata? supremi Antistitis voluntate? cui summa rerum diuinarum permessa, & qui solus, & vnus rerum fidei magister, moderator, & custos, & totius orbis, Sacratissimum veritatis determinandæ oraculum existit? Nemo inuito Imperatore nomen dat malitiæ: nemo recu-sante principe, munus aliquod Reipub. suscipit: nemo deniq; inconsultò patrefamilias, in partem laboris domestici vltro se ingerit. Et hoc tam tremendum, & plenum periculi negotium, quo plurimi ad propriam, & ad aliorum perniciem sunt abusi, licebit vnicuiq; pro arbitrio inuadere, atq; in eo, tanquam in hæreditate à parentibus sibi relicta, impudenter se iactare. Ex quo non non mediocris commendatio, dignitatis Theologiæ elucet, quod non plebis, non alicuius principis, aut etiam imperatoris iudicium expectet, sed Romani Pontificis, eorumq;, quibus ille suas vices, in diuersis mundi partibus obeundas demandauit. Hoc verò Auditores, quanti faciendum putatis, quod hæc sola inter alias scientias, illarum etiam concordibus accedentibus votis, tanquam Regina primarium locum tenet. Nescio quid controuersie, de primatu loci, inter duas nobilissimas

*Oratio de Præstantia*

*Bartho-  
l. meum  
Chaffi-  
neum in  
Catho-  
logo Glo-  
ria mū-  
di Xp.  
Consid.  
XXV.*

lissimas scientias, Medicorum & Iurisperitorum interce-  
dit, quarum vnaquæq; cum magna momenta rationum, &  
æqualis ponderis habeat, res est plena litium, & in hanc  
vsq; diem controuersa. Sed huic vni scientiæ, facile omnes  
falces submittunt, & primo ante se loco dignantur: nec  
vnquam aliqua de iniuria conquesta est, aut iniuriarū iudi-  
cio experiri voluit. Hæc est enim scientia, quæ alias &  
vetustate originis, & nobilitate generis longe superat, nam  
cum reliquæ scientiæ, hominum industria sunt repertæ, &  
assiduo ac pertinaci labore propagatæ: hæc non aliquem  
mortalium, sed ipsum Filium Dei, qui est Sapiencia Pa-  
tris, & in quo sunt omnes thesauri sapientiæ ac scientiæ re-  
conditi, authorem, ac consumatorem agnoscit. Hæc est quæ  
de ore altissimi prodijt, primogenita ante omnem creatu-  
ram, hæc est diuinitus inspirata, nam eam Sancti Dei ho-  
mines, Spiritu sancto inspirante, sunt locuti. Quid igitur  
mirum si familiam ducit? si ei reliquæ ancillantur? & si con-  
geniculando cultum venerationis exhibent? Quondam  
Venus Æneæ ex naufragio tristi, & per ignotam regionem  
vagantis, processit obuiam, os Virginis Tyriæ & vestitum  
mentita, sed ob grauitatem incessus, & vultus præstanti-  
am, facile Dea apparuit, & ab eodem iudicata est. Sic  
hæc scientia, habitum quidem gerit aliarum scientiarum,  
cum secundum leges illarum sit ordinata, nihilominus tan-  
quam Deo nata, plurima argumenta præsert, ex quibus  
merito immortalis iudicari debet. An hoc non euidentis  
indiciū, quod cum cæteris, in huius mundi fabrica, re-  
rumq;

*ac Dignitate Theologia.*

rumq; in ea conditarum peruestigatione versantur; hæc sola authorẽ, ac opificem vniuersi Deum, contemplatur. Hoc verò an non diuinitatem spirat? admirari diuinam essentiam, illius perfectiones, diuinarum personarum emanationes, illarumq; proprietates, quibus adinuicem distinguuntur, quæ quidem mentis aciem præterlabuntur, nec facile percipi possunt. Ipsæ demum perfectiones, quæ multiplici ratione, in quouis opere ac beneficio Dei relucet, an non sunt manifesta testimonia, asserendæ diuinitatis? Hæc est quæ immensam Dei potentiam, & nullis viribus sub sole comparandam, profiteretur; quam videlicet incredibili vi, ac celeritate, cuncta & singula, vnico virtutis suæ verbo produxerit. Hæc sapientiam prædicat, quæ mirabili nexu, non solum primarias mundi partes deuinxit, sed vniuersas res, quæ illarum ambitu continentur, stabili ac perpetuo amicitia fædere consociauit. Hæc misericordia Dei, effusa viscera copiosè eloquitur, quàm in collapsò hominis statu restaurando, celsitudo maiestatis diuinæ exinanita, & carnis nostræ mortalitate, induta fuerit. Hæc diuinæ iustitiæ, rigorem denunciat, cum homines sceleratos, diuina & humana iura temerantes, æternis suppliciis mancipandos testatur. Ad extremum certò pollicetur, bonitatis diuinæ, exultantem in præmiis conferendis celeritatem: & superabundantem, ac inexhaustam beneficiorum copiam, quibus præclaros conatus, & labores susceptos, & in monstris flagitiorum profligandis, & in lege diuina adimplenda, & in cultu nominis eius tuendo, exornabit. Et

## Oratio de Præstantia

hæc quidem, vt reliqua taceam, cum scientiæ in terris natæ, ac in rebus terrenis enutritæ, in hac sublimi scientia intuentur, agnoscunt illã diuino genere progenitam, eandemq; de cælo in terram detulisse, reuelatorum mysteriorum reconditam cognitionem, idcirco illi, tanquam Principi, Dominæ, ac Reginæ omnium scientiarum, primas honorum partes deferunt. Insignia verò tam præstantis eminentiæ, vt liber, Cathedra, byretum, annulus, osculum pacis, benedictio, quanquam illi cum reliquis scientijs sunt communia, tamen ob generis antiquitatem & nobilitatem, tum ob rerum cælestium amplitudinem, sibi concreditam, illi sunt propria, & hæreditaria, cæteris verò illius beneficio sunt mutuata, & gratuito concessa. Magna est, & semper fuit, in quauis Repub. benè instituta, Regum dignitas; plurimisq; ornamentis decorata, illustrem imperij maiestatem exhibet; plurimos tamen fuisse Regum legimus, qui optimorum ac fortissimorum ciuium conatus, quos in salute, ac integritate libertatis publicæ defendenda, declarabant, dignitatis suæ Regiæ, insigniis ornare mandabant. Pharao Rex Ægypti, audita somni interpretatione, quam Ioseph plenus spiritu Prophetiæ fecerat, & ab eodem accepto prudentissimo consilio, quo calamitatem instantis famis, à Regno suo auertere posset, ipse suis manibus, sua illi insignia Regia imposuit. Sic enim historia sacra testatur: Tulit annulum de manu sua, & dedit eum in manu eius, vestiuitq; illum stola byssina, & collo auream torquem circumposuit. Potentissimus verò Persarum Rex

Asuerus

Asuerus, mandauit Aman, vni de Principibus Regni sui, vt Iudæum Mardocheum, cuius denūciatione, vitæ periculum, & capitis insidias euaserat, indueret vestibus Regijs, & capiti eius Diadema Regni imponeret, & in equo auro & gemmis exornato collocatum, populo spectandum exhiberet, & de mandato Regis honorandum præciperet. Et hi quidem, dum hæc Regia gestarent insignia, summum Regis erga se beneficium agnoscebant, & prædicabant, nemo tamen sibi tanquam propria vendicabat. Mirabatur populus, tantū illis honorem, tam subito, derepentè, ac inopinatò euenisse. Mirabatur vestium præstantiam, auri fulgorem, nemo tamen ex tanta multitudine admiratione abreptus, illorum hæc esse credebat, sed potiùs Regia esse fatebatur. Hoc idem existimandum est, de ornamentis honorum, quibus diuina ac humana sapientia, ad sui commendationem vtuntur, quod hæc verè, & perquam accommodatè, soli Theologiæ conueniunt, reliquis verò tanquam ministris de illa optimè meritis. Hæc est, quæ in hoc pulcherrimo scientiarum regno, potestatem Regiam sortita est, hæc leges seruandas scientiis promulgat, hæc singulis certa officia describit, hæc illarum exorientes discordias componit, hæc tanquam arbitra fines illarum regit, hæc in rebus dubijs perspicaciam, in obscuris lucem subministrat, hæc deniq; tanquam sacrorum præses, & cuius authoritati, prudentiæ, causa fidei, & summa rerum Ecclesiæ, ac religionis est commissa, diligenter prospicit, ne quid eiusmodi, ab aliqua scientiarū, promulgetur, quod sit diuinis eloquiis

## Oratio de Præstantia

ac Sanctorum Patrum institutis repugnans. Et cum cæterarum scientiarum, tanquam fidelissimarum ministrarum, & in mandatis exequendis promptitudinem, & in animis hominum, à vitiorum maculis, ac ignorantia tenebris perpurgandis, sedulitatē experitur, sua illis insignia, sua ornamenta, imponit. Et quemadmodum si civis, Regiam vestem induat, non nihil decoris amittit, quem postea totū & integrū resumit, si corpori Regio hære incipiat. Ita hæc insignia, tunc maximè suam dignitatem retinent, cum Theologiam, tanquam aliarum scientiarum moderatricem, & ad cuius quasi staturæ mensuram, sunt elaborata, exornant. Et hunc quidem honorem, diuina Sapientia, non in aliquo cōuentu multitudinis, sed in generalibus comitijs omnium scientiarum, ac sapientissimorū virorum decretum obtinuit. Et his quidē amplissimis honoribus, postquam diuina sapientia in hac vita, in suis alumnis perfuncta fuerit, ad alia dignitatis præmia, longè præstantiora, in illa regione beatorū sibi parata, suscipienda inuitatur. Summi imperatores, & alij fortissimi viri, gloriæ cupiditate incensi, quid non faciebant? quæ pericula non adibant? vt aliquā sibi nominis celebritatem conciliarent, sed hæc iisdem limitibus, quibus & vita illorū terminata est, plurimisq; in atrociam pænarum genera, æterni ac ignobilis carceris infernalis, sunt commutata. Diuina verò scientia, post hæc laudum encomia, post hos gloriæ fructus, in terris degustatos, secura festinat, ad cælestes triumphos, in æternū agendos. Sed quis est hic tam beatus, ac immortalis honor Theologiæ, in illa æternitate paratus?

Michaël



Michaël Archangelus, Magnus Princeps militiæ cælestis, diuinarumq; conscius secretorum, his verbis apud Danielelem testatur. Qui autem docti fuerint, fulgebunt tanquam splendor firmamenti, & qui ad iustitiam erudiunt multos, quasi stellæ in perpetuas æternitates. Agnoscite quæso Auditores, in his verbis viua lineamenta, tanquã in imagine depicta, & ad spectandum quasi in tabula proposita, laureæ doctoralis, qua omnes illi donabuntur & qua cæteris in cætu, ac conuersatione beatorum, magis illustres apparebunt, qui in Mysterijs diuinis cognoscendis, & aliorum cognitioni tradendis, plurimùm operæ posuerunt. Quocirca hic locus, duo in delineatione huius laureæ, consideranda proponit: Requisitum personæ & ipsam lauream. Sed audiamus celestem nuntium de primo differentem. Qui autem docti fuerint, Primarium requisitum, doctrina: non humanarum sed diuinarum rerum, non quæ sit otiosa, aut animi ac oblectationis causa quæsitæ, sed quæ laboris ac molestiarum, in animis imperitorum erudiendis sit patiens, non quæ vanas quæstiones persequatur, sed quibus accendâmur, & ad officium religionis, & ad studiû virtutis, animoq; elatiore facti, terrena hæc tanquam exigua despiciamus, cælestia verò tanquam verè bona, amplectamur. Et hic est sensus hæc mens sequentium verborum. Et qui erudierint ad iustitiam multos, munus scilicet ac dignitatem docendi in Ecclesia sunt sortiti: vt potenti ac flammeo telo verbi diuini, prædonem animarum, in quas sibi ius ac imperium, per crudelitatem vsurpat, eliminent; ereptasq; ex dura seruitute, veræ libertati

## Oratio de Præstantia

ac gloriosæ seruituti, Deo nimirum ac illius cultui restituant. Et hoc quidem, & dictis, & factis, & scripto, & quocunq; po sunt modo meliori, præstare contendunt. Quo nomine insignem quandam excellentiæ gloriam, quam laureolam vocant, ex manu Dei remunerante accipient, quam Angelus splendori firmamenti, ac claritati stellarum similem facit. Est enim hoc beatorum statui maximè conueniens, vt qui in hac vita, hostem diuini nominis profligauerint, atq; ex eo insignes victorias obtinuerint, vt super gaudium essentialè beatitudinis, quod auream vocant coronam, etiam accidentale superaddatur, quod nomine laureolæ appellatur. Et quemadmodum Romanus miles distincta, ac certo numero comprehensa stipendia habuit, si quis verò, vltra communem Martem, & debitam rationem confligendi cum hoste, aut ciuem seruasset, aut primus murum ascendisset, aut hostium castra perrupisset, hic corona, non quidem auro, aut gemmis ornata, sed ex quercu aut gramine, quæ tunc illis gloriosa fuit, insigniebatur. Ita hæc vita nostra, militiæ spiritualis imaginem, ac exemplar representat, dum vndiquaq; hostium multitudine obsessi, varios impetus, eosdemq; modo violentos, modo blanditijs fucate voluptatis conditos experimur, quibus ad contemptum, & ad transgressionem diuinæ legis adduci possimus. Pro cuius integritate, sanctè ac religiosè retinenda, quæuis potius tormenta subeamus, vitam ad extremum profundamus, quàm eam aliqua ratione, etiam leui & inconsiderata, violari patiamur. Si quis verò hac belli ratione hoc cōfictu Christia

nō non contentus, aliquem trium hostium, qui ipsi Deo, & gloriæ eius, ac salutis nostræ bellum induxerunt, ad singulare certamen prouocauerit, & aut carnem, ignem, concupiscentiæ restinguendo, illecebras voluptatum comprimendo, studium sanctitatis ac innocentiae promouendo, edomuerit: aut mundum superauerit, inusitatae crudelitatis tormenta, pro crucifixi gloria, forti & cōstanti animo, & in amore Christi defixo tollerando: aut dæmonis superbum dominatum, quem sibi fidelissimo flagitiorum satellitio comparauit, ex animis hominum, & salutari doctrina, & remedijs cælestium consiliorum profligauerit. Hic procul dubio, præter illam immortalitatis gloriam, præter illud gaudium quod vocant essentialia, & quod in illa æterna retributione, communem stipendij militaris rationem habebit, etiam pro tantis victorijs obtentis quædam laureolæ, in signū fortitudinis, debellati hostis, ac exercitiæ virtutis dabuntur. Et hoc quidem præmium, quod essentiali beatitudinis tanquam auctuarium superaddetur, accidentale nominatur; non ea de causa, quod sit accidens, cum & ipsa visio, & beatitudo essentialis, sit accidens: neq; ideo, quod in beato deficere possit, nam sicut aurea corona beatitudinis, quæ ex clara visione Dei, in anima & corpore beatorum resplendens, æterna est, ita & aureola æternum splendens durabit. Sed quemadmodum essentialia gaudium, tunc erit; quando gloriam Maiestatis diuinæ, lucem in accessibilem inhabitantem videbimus, & quando illo ipso lumine, ex Deo emanante, & in animam & corpus beatorum influente, &

no/1  
beatitu-

## *Oratio de Præstantia*

beatitudinem conferente, similes ipsi Deo efficiuntur. Ita accidentale est, quod ultra claritatem beatitudinis, confert insigne quoddam gaudium, quo mens beati exultabit, dum gloriosi operis, & propter Deum suscepti, magnitudinem, difficultatem, & superatas molestias, mirabitur. Et hoc gaudium, in anima tanquam in radice residebit, per quandam verò redundantiam, explicabitur in corpora, & signis quibusdam manifestis & illustribus, spectandum se agminibus beatorum præbebit, dum per modum coronulæ fulgebit in capite, & si decore niuei candoris rutilabit, signum erit laureolæ virginitatis: sin verò purpureo distinctâ colore rubebit, signum erit laureolæ Martyrij: sin deniq; instar vernantis palmæ, viridem ex se fundet splendorem, signum erit laureolæ Doctoralis. Et hunc tam excellentem gloriæ honorem, nemo sibi eorum vsurpet, quibus propter summam in Ecclesia dignitatem, munus prædicandi incumbit, aut qui non vulgarem rerum diuinarum cognitionem sibi compararunt: sed qui hoc ipsum officium docendi exercent, & aut stricta acie stili, obstinatum hæreticorum pertinaciam confundunt, aut viua voce, vocem illorum diuina potentia animante, & promouente, vitiorum turpitudinem perstringunt, & quàm formidolosum, quàm horribilem, euentum, propter contemptum supremæ Maiestatis sint habituri, magna & animi & vocis contentione ostendunt. Magnam meretur laudem Martyrij certamen, quod incredibili constantia, fortitudine, carcerem, inedia, ignem, candentes laminas, varios cruciatus, ipsam deniq; mortem sustinet.

Non

*ac Dignitate Theologiæ.*

Non mediocrem quoque vendicat sibi gloriam virginitatis studium, & amor, dum assiduos labores, in carnis insolentia comprimenda experitur. Munus verò docendi, quibus laudum encomijs celebrabitur, quod patrociniū veritatis diuinæ tuendæ & amplificandæ suscepit, dum sementem verbi diuini spargit, & animis hominum salutare doctrinas inserit; viam promissæ beatitudinis monstrat, diligenterque præcauet, quibus modis pericula & latrocinia sint vitanda, quæ prædones infernales exercent, dum ad interitum animarum excubant. Hac coelesti doctrina, tanquam facundo rore, illibatus virginitatis flos, irrigatus, liliorum imitans candorem, firmitudine propositi, & coelestibus desiderijs, tanquam in plenum explicatis folijs æternūm floret. Huius quoque monitis, animus Martyrum roboratus, vitam spernit, supplicia non pertimescit, acres dolores, ex inflictis corpori vulneribus fortiter perfert. Viuum est & efficax verbum Dei, vimque diuinitus insitam habet, quæ metum & languorem pellit, ad ardua & sublimia erigit, rerumque mundi vanitate ac fallacia ostensa, ad statum æternitatis immotum ac stabilem inuitat. O quanta, & quàm opima spolia detrahet inferno, & quàm glorioso triumpho inferet coelo. O quot animas, tanquam hostias, funestæ cædi ac rapinæ infernali per peccatum destinatas, eripit, quas postea immarcescibili corona beatitudinis exornatas conspiciet. Ipsa verò religio ordinibus virtutum comitata, quibus verbis quàm ornatisimis ad illud tribunal, coram quo vniuersæ causæ benè ac malè gestorum examinabuntur, fidem faciet. Quos

## *Oratio de Prestantia*

& quantos labores, Doctores Ecclesiæ sustinuerint in causa fidei vindicanda, in rebus Ecclesiæ tuendis, in cultu diuino amplificando, in audacia aduersariorum comprimenda, in peste flagitiorum grassante propulsanda, deniq; in ipsa potestate tenebrarum frangenda. Qualis tunc vniuersarum virtutum exultatio & gratulatio erit, quàm grata totius cœlestis concionis significatio voluntatis erit, dum singuli accepta beneficia, ex docentium assiduitate recensent, ipsamque felicitatem illorum monitis, vigilijs, contentionibus, deberi affirmabunt. Quid verò iustus iudex, & munificentissimus bonorum retributor Deus, nonne his testimonijs, hac animorum consensione inductus, aureolam expediri, & dari sibi imperabit, quam illorum capiti, cum titulis Doctoratus, in æternum duraturis imponet. Quale tunc decus, quàm eximium ornamentum, Doctorum capiti, quod erat assiduis curis, pro rebus fidei fatigatum accedet? cum reuinctum Solis claritatem vincens lucebit. Hæc est illa laureola, quæ ipsius diuinæ sapientiæ, arte, industria, est elaborata, in qua licebit intueri omnes molestias susceptas, pro veritate fidei, pro virtutum incremento, dum gemmarum ac lapidum pretiosorum ordinibus, instar literarum insertis depictæ fulgebunt. O multis & innumeris modis beate Doctoratus, ò felix nimium renunciatio, creari in Doctorem, oraculo viuæ vocis summi Pontificis, magna est dignitas, & quæ cæteras facilè antecellit. Hic verò quantus erit honos, voce diuina renunciari, è manibus Dei insignia Doctoratus, quæ iam nullus casus eripiet, sumere; & tandem  
in illud

in illud augustissimorum Theologorum Collegium, ac sanctissimum ordinem, in quo lumina primum quidem militantis, iam verò etiam & triumphantis Ecclesiæ confederunt, cooptari. Quid non molestiarum homines experiuntur, ut ad hunc Academicum Doctoratus honorem pervenire possint, dum & in auscultandis summis viris, & in monumentis reconditoribus excuciendis, & in tot Euripis, ac iactationibus disputationum enatandis, plurimum defudare debent. Quanto magis his omnibus inuigilandum, ac summo perè elaborandum est, & in integritate religionis diuinæ retinenda, & in vitiorum sentibus extirpandis, qui candidati illius veræ dignitatis nominari expetunt, & in aula æternitatis renunciari. Vanus est mihi credite, & profusus nullus hic honor Doctoris in Theologia, qui ad hunc sublimiorem, hac via Sanctorum Patrum vestigijs impressa, non adspirat. Summus verò & amplissimus tunc est, cum pro illo assequendo omnes & ingenij & corporis vires, ac conatus intendit; vitamque & illius commoditates, pro bono Ecclesiæ & animarum contemnit.

Hæc est, Auditores, duplex laurea, qua Theologi coronandi sunt; hæc est illorum geminata dignitas, vinculo cuiusdam intimæ necessitudinis deucta. Cæterarum verò Scientiarum præmium est, sola gloria in spacijs Academiae proclamata, & nisi huic diuinæ scientiæ operâ suâ præstent, nullum ius aureolæ consequendæ habent. Quotquot igitur sumus, quos diuina benignitas ad hanc vitæ rationem vocauit, primum quidem singularem Dei amorem in nos agno-

*Oratio de dignitate Theologiae.*

scamus, qui nobis vniuersi sui peculiij pretio sanguinis comparati curam demandauit, voluntatis suæ intrepreses fecit diuinorum mysteriorum dispensatores constituit, sacrorum ministeriorum concessit, potestatemque homines conciliandi Deo contulit. Deindè verò sedulò cogitemus, quid oneris in præsentia susceperimus, & quanto studio, contentione, in eo obeundo contendendum, non parcendum labori, cum inimicis Ecclesiæ omni ratione dimicandum, pericula adeunda, vita ad extremum ipsa in hoc præstantissimo munere complendo, cum gaudio profundenda, quam illa beata & immortalis, laureolæ redimita monili excipiet.


**F I N I S.**



*1710*  
*1710*

*C 2*







14589

6146  
110

